



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. Consultationi 28.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

neutr, & non exprimuntur, nullum effectum ju-
ris habeant, per text in l. Si repetendi 7, C. De condit. ob caus quod & supra ad cap. proximum attigimus
adversus Innocent.

In Cap. Cum in tua 27.

Vide quæ dixi ad c. Præterea 12, supra eod.

In Cap. Consultationi 28.

SUMMARI A.

1. Metus in muliere quantum requiratur.
2. Metus etiam minor in muliere iustus censetur.

Agitur hoc Cap. de mulieribus, quæ in
valvis Ecclesiæ per Sacerdotem benedi-
cendæ, obreundunt se minimè consensisse
in matrimonio. Has responder textus noster
minimè audiendas esse, si sponsus legitimè, id
est, per testes, aut per instrumentum contrarium
probaverit.

Item agitur de illis, quæ jam benedictione
percepta à sponsis aufugiunt, nondum subsecuta
carnis copulâ, asserentes, se quidem expressis
verbis matrimonium contraxisse, sed revera a-
nimo dissensisse, propter metum adhibitum. Et
has respondet merito audiri oportere, & co-
gnosci, utrum talis metus sit, qui potest cadere in
constantem virum. Ita textus noster, qui tamen
non addit, an propter talem metum matrimo-
nium pronuntiandum sit esse nullum. Proinde
hic locus supplendus est, ex c. Cum locum 14, h. 1.
& quæ ibidem retulimus, videlicet, ejusmodi
matrimonium ipso jure esse nullum.

Quod adjicit textus, ante carnis copulam subse-
cutam, eum sensum habet, ut, si copula subsecuta
fuerit, matrimonium propter metum retractari
non debeat, utpote jam metu purgato per spon-
taneam copulam, sicut comprobavimus in c. Ad
id 21, sup eod.

Cæterum oritur hic difficultas, cum inquit
textus, diligenter inquirendum esse, utrum tali
metu mulieres percussæ fuerint, qui potest ca-
dere in constantem virum. * Cum rationi non
videatur consonum, ut idem metus in muliere,
qui in viro requiratur cum hic constantior sit,

altera inconstantior naturâ suâ, c. Forus 10, versu
natura inf. De verb. signif. nam & hinc mulieres
propter imbecillitatem sexus juvantur de natus-
consulto Velleiano, non viri, l. 2, & passim toto tit.
D. Ad S C Velleianum.

Atque hinc Glossa add c. Cum locum, existimat
minorem metum videri iustum in muliere,
quàm in viro, quam ibidem notandam censeat
Panormit. & Præposit. atque à plurimis com-
mendatam tradit Navar. in Manuali c. 22, n. 51,
tum eam memorabilem vocat in consil. 10, n. 3, De
iis quæ vi metus causa. Eandem probant & alii
apud Did. Covarr in hunc lib. IV. Decretal p. 2, c. 3,
§. 14, n. 16, per text in can Indignantur xxii. q. 6, &
facit text in cap Sicut 6, in pr. inf. De homicid. Unde
monet Covarr judicem, ne tam anxie metum
æstimet in muliere, quàm in viro, sed consideret,
quid fœmina constans faceret, inspectâ scilicet
naturali fœminarum constantia. Aliquid enim
(inquit) cogeret fœminam etiam constantem ad
eligendum id, quod vir constans minimè elige-
ret.

Quocirca & Panorm. & Butr. hic voculam,
Virum, in fine textus nostri adjectam omittunt,
quasi in eorum libris nulla viri mentio fiat, sed
tantum loquatur de metu, qui potest cadere in
constantem, sive is vir sit, sive mulier. Quibus
tamen impressi libri refragantur, & deinde Præ-
pos hic hanc eandem lectionem nostram sequi-
tur. Ne autem ipse à Glossæ & aliorum senten-
tiâ temerè discessisse videatur, putat in textu no-
stro subaudiendum esse, in constantem virum,
vel mulierem constantem, aut sub nomine viri
comprehendi etiam mulierem, sicut sub mascu-
lino continetur etiam fœmininum, idque absur-
ditatis vitandæ causâ: quod & rectè dicitur à
Præposito.

In Cap. Gemma 29.

SUMMARI A.

1. Matrimonia adjectione pœnæ aritari non debent.
2. Licet pœna etiam modica promittatur.
3. Stipulatio pœnalis an matrimonium contractum in-
firmet?
4. Arrha